



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Modus Recte Se Disponendi Ad Felicem Mortem

Poiré, François

Coloniae, 1651


[urn:nbn:de:hbz:466:1-55160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55160)



Th. 3244.

J. I

L.



Ex donatione Willielm
Froessen de Linc
ad Clementis falia
Bibliothecae Linc
deh. Paderborn
1655 in f. h.
Acting per Paderborn

MODVS
RECTE SE DISPO-
NENDI AD FELI-
CEM MORTEM.

Traditus Gallicè:

A R. P. FRANCISCO
POIRE SOC. JESU.

Redditus Latinè

Ab eiusdem Societatis Sacerdote

ADAMO SCHIRMBECKH.



Permissu Superiorum.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis WILHELMI FRIESSEMI
Typographi & Bibliopolæ.
Anno M. DC. LI.



SCOPVS
HVIVS OPVSCVLI
ET AVCTORIS.


AMice Lector, cum ijs tēporibus vicia-
mus, qua perpetuò mortis imaginē ni-
stris sensibus ingerant; occinam tibi
quod simili occasione S. Gregorius dixit: O-
portere hominem illum omni prorsus sensu
deslitui, quem res illa, vnde tota possit ne-
tura exhorrescere, non percellat. Quocunq[ue]
te vertas, videas mortis falcem in messē
suam scuire, pestemq[ue] quotidie aufertis
quidquid à bello reliquum mansit: si que-
ratur sit huic & illi superstes, eum in pauper-
tatis & inopia manus incidere; qua tantū
magis est timenda, quanto lenius occidit.
Paulatim urbes vertuntur in solitudines,
& agri cadaveribus sternuntur: illic autem
ubi nihil horum malorum adhuc grassatur,
gemunt futuri expectatione non secus, quam
si tolerarent. Qui alius rem expendunt, in
in eam sententiam veniunt, veluti Deus
tam communi incendio, nouum denuò muni-
cipium moliretur. Et tu his in super habitantibus
per somnium quidem de morte cogitabis.

Intertus, eius te vires euasurum?

Ut igitur memineris, precipuum hoc omnium negotiorum esse, vitam recte finire: & bene vitam instituendo, te morti probe consulere; quandoquidem mors non tantum nobis ad aeternitatem viam sternit; sed in ea cardo salutis versatur, considera, hic negotium à singulis tantum semel peragi: usque nos doceri, plerumque illa à nobis imperite tractari, quae rarius exercemus. Fateari sane necesse est, temeraria hominis esse, cum hora unius tiro fit, artis specimen & successum polliceri; quod, si male succedat, emendari non possit. Cogita, multa aliunde accidere, quae illam reddant longè difficillimam, incommoda corporis, sollicitudinem mentis, cogitationes de futuris ancipites, praesentium tristes curas, communis hostis insultus, qui tunc rabiem aliorum temporum longè superabunt, disunctionem generatim ab his omnibus faciendam, quae nobis in amoribus erant: ne dicam de diuersis malis, quae rationis usum interuertunt, de stupore & hebetudine sensuum, de morborum acerbitate, qui animam suimet impotentem, & ad omnia alia inattentam efficiunt, de inopinatis casibus, qui saepe nihil cogitantes corripiunt,

ant, & nonnunquam è vitâ exturbant, priusquam dispicere possis, quo sit eundem.

Equidem hac cogitatio perpetuò pulsare nostras mentes deberet: hoc verò auro, quo nos vini natus, aliquod genus necessitatis est, mortis ante omnia saepe meminisse. Id quod me exstimulauit, ut prauis aliquot rationibus viam sternerem, ad successum operis tam ardui promouendum. Si rationem operis & consilij mei ex toto non prebas. occurret tamen fortassis aliquid, quod tibi occasionem prebeat, aliquid melius extendendi. Mibi satis erit, hoc exiguum opus vulgare, in genuo studio, tibi in causâ omnium maximâ grauisimâque seruiendi.



DE DISPOSITIONIBVS

*ad bene moriendum, quæ sanis & va-
lentibus adhuc inseruiunt, ante-
quam sentiant sibi mortem
imminere.*

DISPOSITIO I.

PRIMA & magis generalis est, bona vi-
ta. Experientia, ratio, & ordo diuinæ
prouidentia huius veritatis sunt testes.
Experientia quidem, quæ locum trito
illi verbo fecit. Qualis vita, talis mors,
plus quàm quotidianis exemplis nos e-
rudat: vnde fit, vt, si secus eueniat, propè
pro miraculo habeatur. Ratio verò nos
docet, motum continuatum eiusdem
naturæ in initio & fine esse: & contex-
tum nostrarum actionum, etsi à libera
voluntate proficiantur, talem esse, vt
plerumque sui quâdam similitudine æ-
qualem telam conficiant. Et vt Cygnus
morigerus Cygni, & coruus corui more
canit; ita & seu probæ seu culpata vitæ
assuetus, parem exitum sortietur. Ordo

denique diuinæ prouidentiaë exigit, vt & Dei bonitas fidelitasque eum in tam tristi abitu non destituar, qui suam voluntatem semper diuinæ subiecit; & rigor iustitiæ in eum ad extremũ defæuiat, qui eius iugum excussit. Peccator, inquit sanctus Augustinus, hac deniq: poenâ multatur, vt cum in vitâ, Dei sit oblitus, in morte obliuiscatur & sui.

Cum autem de vita bona loquor, nolum eo rigore dicere, vt ea non possit etiam in illos cadere, qui nonnunquam Deum etiam grauius offendunt; vt tamen illud nomen merearis. quatuor conditionibus eam esse instructam, necesse est; altioribus interim animis perfectiora sectantibus. Prima est, Cor Dei Timore imbutum, cui certum sit, rem nullam designare, quæ possit Dei gratiâ priuare. Secunda, Fixum animi decretum, momento se erigendi, si acciderit ex humana imbecillitate, te alicubi tentationi succumbere. Tertia, Conscientia à certis quibusdam radicatis vitijs purgata quæ vehementer animum impediunt, quæque molestam post se catenam trahunt; vt sunt inimicitia, detractio, alieni boni re-

tentio. artes inconcessæ in obeundis negotijs parua cura dissoluendi es alienum & alia quæ nobis incumbunt, onera expediendi, familiaritates periculosa, abusus sacramentorum & quæ sunt aliæ huiusmodi prauæ assuetudines, quæ menti Deum eripiunt, magnasque tenebras & periculo plenam obstinationem inducunt. Quarta est, fuga otij, quæ, utpote mater omnium scelerum, hominem vndeque reddit inutilem, & incertum, adeo affectum ad exercitium bonorum operum exturbat, quæ sola, ut sanctus Petrus ait, a certam faciunt salutem. & Vocationem nostram.

a 2. Petri 1. b. 10.

DISPOSITIO II.

Secunda est, (& ex priori consequitur) bonas consuetudines superinducere. Modica illa experientia, quâ sum eruditus, in eam me cogitationem adegit, ut credam, nostrum plerosque eo mentis habitu ac assuetudine mori, cui in viuis assueuimus. Qui antè toelentiam non addidit, tunc cum æger decumbit, querelis omnia complebit, habebitq; quod in quouis ob-

sequio damnet. Is qui pietati prius non
 affluerit, in illo articulo nullis eam indi-
 cijs proderit. Qui est opibus & fortunis af-
 fixus, nec alium sermonem, nec cogita-
 tionem, nisi de ijs patienter admittet.
 Contrarium omnino homini pietatis an-
 te hac studioso accidit? & eius, qui sem-
 per patientiæ, aut diuinæ voluntatis, cui
 se ex toto permisit, tenax fuit, virtus tunc
 potissimum elucebit. Cuius rei causa
 est, quòd in his angustijs natura vt pluri-
 mum deficiat, neque vires illi suppetant
 ad aliud agendum, quàm cuius longum
 vsum iam habet. Hinc est, quòd pluri-
 mum inter sit, dum vales, laudatas con-
 suetudines adsciscere, imprimis verò tri-
 rerum. Prima est, vt sæpe Deum tibi præ-
 sentem teque Deo sistas, Internique vir-
 tutum actibus identidem studeas, imprimis
 verò, Fidei, Spei, Caritatis, Contriti-
 onis, Pietatis, beneficiorum recordatio-
 nis, ac submissionis. Secunda, vt de manu
 Dei in te profecta promiscuè acceptes, &
 in omnibus, quæ ab eo circa te fiunt, ac-
 quiescas. Tertia, vt sæpè tibi ipsi vim in-
 feras, siue in ijs rebus, quæ sensibus, siue
 quæ voluntati bellum mouent. Hæc tria
 capita

capita sunt, quorum frequens vsus mihi videtur illo tempore cum primis esse necessarius.

Per multum etiam conferet, sæpe considerare, & minutim expendere, quæ in illâ fatali horâ nobis erunt agenda. Nam defectu huius cogitationis, multi hærent in incerto; ignari, quò se vertant, aut quo ordine negotium hoc suscipiant, in quo tanta res agitur, quanta est æternitatem adire.

DISPOSITIO III.

Tertia eos contingit, qui vitæ huius commodis ac bonis fruuntur; in quorum potestate est, ea: cui velint posterorum ac hæredem, transcribere, Crediderim, neminem è prudentium virorum numero fore, qui nõ aliquâ ratione ultimam suam voluntatem consignârit, ita, ut possit adhuc, quæ velit addere, demerere, prout occasionem causamque, quidpiam immutandi, negotia suadebunt. Vt ita suadeam, faciunt humanarum rerum incerti euentus, quotidiani casus, quâ illos ipsos occupant, quos vulgò pro sapientibus habemus: ij ita à morte opp-

pressi familiam deserunt penitus per-
 batam: quod maturè suis rebus ac ne-
 rijs non consuluerint: accedit periculum
 cui se expònunt, ne pluribus creditoribus,
 quibus debent, iniuriæ causa sint
 neue ansam grauibus inter necessarios
 controuersijs præbeant; & si quæ iam
 plura eiusmodi mala, quibus conscientia
 non leuiter oneratur. De condendo
 tem testamento cogitare, cuius nulla
 partem Deus habeat, est, seipsum obliuisci
 quemadmodum & illud est; Iustitiæ &
 charitatis exiguam rationem habere
 dum non cauentur lites & altercationes
 quæ ex voluntate Testatoris malè ex-
 catâ subnasci possunt.

DISPOSITIO IV.

Quarta est, animum sensim à rebus
 huius mundi abstractum, caelestibus ad-
 dicere; & velut ab amicâ manu accipere,
 quidquid Deus in eum finem de nobis
 statuit. Mihi quidem videntur, ij, qui mi-
 nus iam sunt rebus huius vitæ affixi, fru-
 stribus similes, qui iam maturi, sponte
 decidunt, aut facillimè carpentis manum
 sequuntur: cum vicissim alij, qui non nisi
 ægrè hinc decedunt, sint pomis adhuc

acerbis pares, quibus auellēdis necesse est vim inferre, si decerpta velis. Incredibile est, quantam violentiam persentiscat cor terrenum, quando ei denunciatur, emigrandum hinc esse, & sine morâ abrumpenda deserendaque esse tot opera animo iam concepta, tot inchoatas molitiones, tot spes propè raras, tot præclara consilia, & fortuna florem, tot opes tanto labore partas, quarum fructum vix degustauit.

Adhæc multum faciet, ad huius discessus leuandam molestiam, assuescere, vt sæpe mortis memineris, deque eâ loqui & audire tibi acceptum sit. Hunc morem sancti viri tenuerunt, quorum aliqui nullam cogitationem tam frequenter, quam istam admiserunt: & Seruator ipse in omni congressu occasionem captauit, suis Discipulis mortis, quam erat nostrâ causâ subiturus, mentionem ingerere: id quod induxit nonnullos, vt dicerent, mortem eius oculis ac animo semper fuisse obseruatam. Miros in homine fructus hoc exercitium producit: præterquam enim, quod plurimum valeat nos incitare, ad capellendam virtutis viâ;

efficit insuper, vt paulatim animus mor-
tem familiariùs ferat; vnde nunciuſ
petendæ dulcior ac tolerabilior efficitur
quàm aliàs fuisset.

Videas quotidiano vsu multos mor-
tuum, qui, quamdiu possunt, hanc
mortis recordationem arcant, hinc acci-
dit, vt, quando illis denuntianda est im-
minentis fati necessitas, tanto cogitatio
apparatuque opus sit, velut occupatio
arx esset: hinc conquirendi sunt, quorum
congressus sit ægro iucundus: ambagibus
& nescio quibus commentis vtendum.
Legatio illa obeunda verbis tam caute
ne horrore concutiantur, aut animo lin-
quantur: In finitâ patientiâ est opus, ob
nec eos per interualla deducas, vt officium
faciant. Et non rarò, dum homines cuius
modi moriuntur, circumstantes re-
magnam præstant, si vel tantillum ab ip-
sè eliciant: quin aliquoties à morte taliter
corripiuntur, antequam quisquis fuerit
ausus eos mortis admonere. Ne grandis
hæc mollities est animæ, quæ Christiani
nomen fert: & sanè post hæc omnia
nescio quid mihi de huiusmodi dispositio-
tione pollicear. Proximum remedium

mali huius est, aduersus hanc animi abiectionem se primum se primum; oculos sæpe in extremam vitæ horam defigere; domesticorum admonitiones primum; orare medicum, ne quid dissimulet, sed cum libertate audacter suam sententiam edicere; loqui, testarique palam, te mortis necessitatem libenter admittere, vitamque eo fine, quo hominem Christianum decet, concludere velle.

DISPOSITIO V.

Quinta est, Vtus operum Misericordiz, tam quæ corporibus, quàm quæ animis impenduntur Ecclesiasticus rectè in sententiam dixit (a) *Cor durum habebit malè in nouissimo.* Cõtrà tota S. Scriptura abundat ingentibus promissis, quæ illi in hunc mortis articulum à Deo fiunt qui in miseros sunt benigni. O quis verbis explicare queat consolationem, ipsi paratam, qui palmas suas extenderunt ad pauperes, ac proximorum indigentiæ seu corporum illa fuit, seu animi, confulerunt! omnino æquum est, vt misericordiz.

(a) Eccl. 37.

cordia alijs exhibita diuinam quoque benignis conciliet: vt charitas, cuius fuerunt tam studiosi, operiat multitudinem peccatorum, quæ admiserunt: & vt illis fidenter addantur animi, benè cum illis agi, nec quidquam esse, cur se grauius affligant; quandoquidem toridem habeant patronos, quot obnoxios sibi redolere clientes.

DISPOSITIO VI.

Sexta est, Fiducia in Deum, quæ plerumque vt pabulum sustentare mentes nostras, quamdiu in corpore versantur, debet. Quod vt dicam; vsus me docet, eos, qui assueuerunt, se nimio metudiciorum Dei excruciare, nullò ex eius conitate vsi lenimento, in agone confitari cum peculiari diffidentiâ. tristi formidine, ac horrore, à quibus ad ipsum desperationis præcipitium adducuntur, non sine periculo tristissimi casûs: animus igitur in has angustias coniectus lenusq; acerbitate, mole vrgentiû cogitationû humi deprimitur, non nisi maximo labore erigendus. Neq; hæc idcirco, quasi velim salubrem metû penitus hinc
pro-

ad bene moriendum.

I

proscribere, quo tamen S. David cupiebat esse confixus, a quique mentem à corruptione peccatorum præseruat. Id solum cupio efficere, vt medium teneat, amoreque ac fiducia temperetur: qui affectus sunt & puriores, & potentiores ad generosius certiusque pugnandum quam sit timoris.

(a) *Psal 118, Tps: 120.*

DISPOSITIO VII.

Septima est, Studium consequendi Indulgentias, seque sponte assumptis pœnis affigendi, quibus pro peccatis satisfiat aut etiam conatus, ex morbis proficiendi, aliisque incommodis, quibus à Deo ad scelerum castigationem exercemur. Multæ graues rationes nos vrgent, magni hoc caput aestimare; imprimis verò remora illa, quam pœnæ post hanc vitam persoluendæ injiciunt, quo minus liceat Deo frui, nostrorum omnium bonorum supremo, & fine, ad quem conditi sumus. Abunde suppetunt historiæ, plenæ formidabili seueritate, quam diuina Iustitia in animas post mortem purgandas exercet. Amor autem rectè ordinatus, quo erga nos ipsos

tene-

tenemur, nobis præcipit illam quoquo modo euitare; cum præsertim tum Diuorum exempla illuc nos impellant, etiam illorum, quorum vita fuit integerrima, & consuetudo inter homines prorsus inculpata; tum vsus receptus Ecclesiarum, quæ columna est veritatis.

DISPOSITIO VIII.

Octaua est, Pia affectio aduersus Dei amicos, quorum beneuolentiam captemus, vt in illâ luctâ nobis succurrant. *Voca* dicebat Iob (a) *si est, qui tibi respondeat; & ad aliquem Sanctorum conuertetur, qui tuis lamentis propitiâ aurê præbeat.* Omnino præcipua nostra fiducia Seruatori nostro innitatur, eiusq; infinitis meritis: cui, si quis in nobis grati animi sensus superest, pietatem subiectionemque omni aliâ maiorem, præstabimus. Post illum verò nostra & eius sanctissima Mater iure proximum apud nos locum deposcit? & vt, quemadmodum Illa nos amore, quem nulla oratio explicet, prorsus eximio complectitur, ita & nos sensu ani.

(a) Iob. 5. 1.

animoque in Eam tam pio gratoque fe-
ramur, quantum modus nostri cordis
capere potest. Extrema profecto rustici-
tas foret, sub Angeli clientelâ curâque
vivere, qui nos perpetuo in oculis habet,
millenis quotidie in nos beneficijs profu-
sus; & tamen non nisi rarissimè eius
meminisse. Post hos quiuis peculiari pic-
tate erga Diuorum aliquos afficitur,
quos aut Deus illi pro suâ prouidentiâ
destinauit, interiori sensu colendos: aut
quibus inuocandis est aliunde obligatus;
aut quorum res gestas siue per lectionē,
siue aliâ ratione familiarius caller. Et
quandoquidem in largitione donorum
suorum, quibus Sanctos decorauit, decre-
uerit, vt illorum aliqui essent ante illos
præditi facultate ampliori, nobis in illis
angustijs opem ferendi, vt S. Ioseph, S.
Barbara, & alii; ratio & proprium emo-
lumentum suadet, illos crebrioribus ob-
sequijs prensare, illorumque gratiam ac
opem demereri. Deniq; cuiuslibet sit per-
suasum: si amor, quo hi serui Dei nos am-
plectuntur, tantis se beneficijs in vitâ
hac prodit, vt æstimari pro dignitate nõ
possit; eo momento, in quo salus nostra

versatur, eos ad miraculum vsq; nostris
causæ fore propitios. Sed id agendum est
vt eos iteratis per vitæ spatium officio
nobis faciamus addictos.

DISPOSITIO IX.

Nona est, Frequens vsus SS. sacra-
mentorum, Confessionis, & Com-
munionis. Dicitur non potest, quantum
profit, siue ad nos in Dei gratia retine-
dos, siue ad superandas, quæ quotidie
offerunt, tentationes, siue etiam ad pro-
merendum robur & auxilium peculiare,
quo nobis in hoc extremo conflictu est
opus.

Sed ego imprimis velim omnibus, co-
iuscunq; illi conditionis sint, cordi esse, vt
postquam semel sincerâ integrâque to-
tius vitæ confessione se expiârint, de-
inceps singulis annis eam ab vltimâ
resumant. Hunc morem hodie tenent
multæ bonæ mentes, non sine maximâ
fruge ac lucro. Illud certum est, plurimâ
eam conducere ad seruandam animi li-
bertatem, cauendamq; necessitatem, tot
anxijs inquisitionibus se conficiendi,
cùm mors imminet. Sunt enim eiusmodi

confessiones veluti rationes, quæ rationi
ultimò vitæ superadduntur; quibus satis
erit id adiungere, quod in eum cumulū
insuper accessit: vt ita, cum Deo sistendus
eris, possis tibi aliquam saltem securita-
tem polliceri

DISPOSITIO X.

Ultima est, Quotidie certum aliquod
pietatis genus obire, ad impetrandam à
Deo feliciter moriendi gratiam; & adnu-
merare se illorum sodalities, qui in eum
finem quotidie pro se mutuò aliquas pre-
ces persoluunt, vt sunt Litanix de B.
Virg. item quot annis tempus certum
secernere, quo accuratiùs mortis tibi
memoriam & sensum imprimas: Id quod
fieri peractâ Confessione generali potest,
quæ velut præparatio aliqua huic exer-
cizio præmitti potest; animamque doce-
bit, in quo statu suæ res sint, si tunc sit
Dei tribunal ad eundem Quæ omnia con-
cludi denique possunt istis potestacioni-
bus, quas huc apponam, in modum vl-
timæ voluntatis.

Ego N. N. mecum reputans, quàm
horæ & genus mortis mihi subeundæ sit
incer-

incertum, cupiensque ad iter tanti me-
 menti me non imparatum abripi: pro-
 stratus coram diuinâ Maiestate, in ocu-
 lis sanctissimæ Virginis, totiusque Curie
 cælestis prænuntio, hanc certam & nun-
 quam conuellendam voluntatem meam
 esse. viuere & mori in obsequio Condi-
 toris mei, ac subiectione, quam eius diuini
 legibus debeo, nec non in assertionem o-
 mnium illorum capitum, quæ S. Ecclesia
 Catholica, Apostolica & Romana tuetur.
 In eum finem toto animi sensu ac nisu
 protestor, me nullo prorsus modo ha-
 sitare circa illa, quæ Deus tam de seipso,
 quàm de re quauis alia diuinitus illam e-
 docuit. Et quemadmodum ea, quæ ipse
 denunciavit, pro inuiolabili veritate am-
 plector; ita penitissimè credo, paratus
 sanguine meo illam fidem obfirmare,
 quamper eius immensam gratiam sum e-
 doctus.

Gratias eidem ago profundissimas ob
 innumera penè beneficia, quibus me ab
 horâ Conceptus mei in hunc diem affecit
 ram quæ naturam, quàm quæ gratiam
 concernunt, vt & pro toto gloriæ cumu-
 lo, quam placuit eius diuinæ Majestati
 mihi destinare.

Pro monumento grati animi demissè
ei offero, quidquid mihi dedit, quidquid
sum, aut vnquam ero: cum ingenti desi-
derio, illud ipsum vturpādi cum arctissi-
mā seruitute, ac subiectiōe infimā, quā
potest res vlla creata tibi esse obnoxia.

Acquiesco, quantum humanitus con-
cessum est, ijs omnibus, quæ de me place-
bit illi seu in tempore, seu in æternitate
statuere. Et ante omnia gratum mihi in-
tegrumque erit, quidquid aut de horā,
aut genere mortis meæ decreuerit, & v-
niuersim de omnibus alijs, quæ illam cir-
cumstant, mihi que, præ re natā iudica-
uerit, tunc expedire.

Verum cum res hæc sit mihi prorsus
ignota, neque sim certus, num eo tem-
pore sim tantum virum habiturus, vt li-
berā voluntate & pleno rationis vsu pos-
sim ei extremum obsequium præstare: e-
ius infinitam bonitatem supplex obte-
stor, velit modò illa admittere, quæ nunc
ago & dico, velut in illo articulo facta di-
stinctæ essent; renuntians interim cuius-
cunque voluntati, quæ posset in contra-
rium ferri, omnique motui, quem vel vis
tentationis vel imbecillitas naturæ posset
à me

à me extorquere, in detrimentum & perniciem decreti huius, quod in præsens concepi. Consentio item, voloque quam latè mea libertas patet, sponte corpus meum in pulverem mortis deduci, vnde sumptum est. Quod ad animam spectat, oro amantissimum Seruatorem meum, velit suis illam manibus excipere, vt primum fuerit à corpore soluta: quemadmodum etiam obtestor eius Bonitatem, vt, cum vltima lucta imminebit, eam præsentia auxilio tueatur. Obsecro eundem, meminerit, illam esse opus manuum suarum, redemptam pretioso eius sanguine, & infinitis eius meritis dictam.

Precor deinde eius dignissimam Matrem, quæ simul & per adoptionem, & singularem electionem, qua eam hoc titulo sum complexus, mea est, tunc maxime faciat fructus maternæ bonitatis tantæque misericordiæ me experiri, in quâ post Deum omnem salutis meæ spem collocaui. Per idem Matris nomen illam rogo, sinu me suo recipere dignetur, cum à meis hostibus exagitabor, seque furoribus illorum obijcere, quo aduersum me insurgent,

Constituo Angelum meum tutela-
rem pro præcipuo meo Patrono, eumque
precor, vt meo loco ad singulâ accusati-
onis capita respondeat. quæ maligni spi-
ritus adducet: Dei iustitiam emolliat, lu-
dicemque, quem toties tam grauitèr of-
fendi. conciliet.


Imploro adhæc Sanctos N. N. quos vt
peculiares patronos delegi, illa mihi eâ
horâ suggerant, quæ poterunt salutem
meam promouere; meæ imbecillitati vi-
res addant; & veluti corporis custodes
aduersus dæmonis insultus excubias a-
gant,

Iam nunc palàm significo, mentem
meam ac desiderium esse. tunc me SS. Sa-
cramentis muniendi, quæcunque seruator.
noster in illud tempus instituit, tum vt
nos aduersus horrorem & luctam mortis
armaret, tum vt noxarum nobis veniam
conferret, tum vt sancta eius gratia in
nobis incrementum caperet. Quod si ali-
quo casu eueniret, vt illa recipere non
possem: obsecro dulcissimum Seruato-
rem hanc mihi gratiam ad extremum
præstet, vt velit nihilominus eos animæ
fructus indulgere, quos solet cæteroquin
hoo.


hoc sanctissimum Sacramentum corpori
eius conferre; ungerere omnes sensus meos
intus & foris oleo immensæ suæ miseri-
cordiæ tam vt sim ad supremum agonem
animatus, quam vt omnia illa errata ab-
oleantur, quæcunque quolibet horum
sensuum commisi.

Pari ratione, si defectu virium, aut
quavis aliâ ratione, essem oblitus, vltro
hæc SS. Sacramenta deprecari, quæ in
hunc finem sunt instituta; eos rogo, qui
mihi pro Christianâ suâ charitate digna-
buntur morituro adesse, meas illi vices
expleant, meoque loco expetant: simul
hanc meæ voluntatis significationem,
quàm modò exhibeo, pro teste certissimo
desiderij habere velint. De quâ meâ sen-
tentiâ, ne quis possit dubitare, propria
manu hoc chirographum consignavi,
quod velim ab ijs, qui mihi morienti ad-
erunt, mecum sepulchro inferri. Actum
— die mensis — an.

os(o)de
9









Th
3244